3 30

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

NYCTALOPIA,

VEL

CAECITATE NOCTURNA.

AUCTORE JACOBO GRANT.

PROŒMIUM.

ALIQUOT abhinc annis, dum, in mari Mediterraneo, navi bellicae[1] chirurgus praefui, mihi contigit, haud pauca morbi exempla videre, de quo in paginis hisce disserere proposui. Cùm, neque experientiâ neque lectione, morbum tam mirum tamque rarum tunc temporis rectè curare accinctus essem, historiam ejus, datâ quâvis occasione futurâ, diligenter a me indagandam es-

---

(1) Anglicè, "H. M. S. Cerberus."



[1818]

se, statui: et, equidem, tempus presenti opportunius meliusve, vix invenire potuissem.

His igitur permotus nunc opus inivi; ac etsi de hoc morbo multum adhuc lateat, et quamvis historiam ejus accuratiorem, aut pathologiam meliorem vix reddere paratus sim, tamen nullus (ut spero) lector benevolus inceptum meum aspernere aut vilipendere conabitur, quia, re quidem verâ, hoc tentamen adeo maculosum et inconditum minimè protulissem, nisi leges Academiae hujus inclytae aliquid examini Doctissimorum, candidatis summos in Medicinâ honores ambituris, subjiciendum esse postulâssent. Indulgentiâ igitur fretus, ad rem propositam ibo.

MORBI [1] HISTORIA.

Nyctalopia morbus est, in quo per diem aeger videt, sed, ab occasu usque ad ortum solis, visus plùs minùsve imminuitur.

(1) Huic morbo (caecitati scilicet nocturnae) auctores varia imposuerunt nomina; duobus, autem, "Hemeralopia," et "Nyctalo-

Apud nostrates parùm cognitus est; sed in regionibus intertropicis, et in illis terrarum partibus, ubi sol et aestus graviores urgent, saepissimè apparet. In Russiâ et Germaniâ aliquando epidemicè grassatur; et in oris maritimis et insulis maris Adriae interdum conspicitur. Varias quoque partes Africae, Asiae, et Americae vexat; et in Chinâ quàm in Europâ frequentior esse traditur. Apud utramque Indiam, et in mari Mediterraneo, nautas nostros haud rarò adoritur. Ubicunque obvenit, eandem induit formam, gradu, tantummodò, pro duratione morbi, vel aegri *idiosyncrasiâ* modificatam.

Quae sequuntur signa morbum declarant.

---

pia," praeter caetera usi sunt. De horum vocabulorum sensu proprio multum disputatum est, sed hìc subtiliùs agere non volo. Mihi placuit Nyctalopiam alteri anteferre, et auctoritate scriptorum longè plurimorum me suffultum invenio. Sequentes, qui sub titulo "Nyctalopia" hunc morbum semper denotant, enumerare liceat: viz. Aetium, Avicennam, Alexandrum Trall., Paullum Aeginet., Plinium Secund., Manardum, Rondeletium, Forestum, Platerum, Etmullerum, Hoechstetterum, Horstium, Panarolum, Schenkium, Zwingerum, Dujardin, Hillary, Heberden, &c. &c.

Occidente sole, oculorum acies hebescit et magis magisque obtunditur, donec tenebris noctis tandem perfectis, penitùs aboletur. Totam per noctem urget caecitas; et quo plus lux augetur, eo plus videndi facultas revertitur; et, oriente sole, statum naturalem iterum recuperat aeger. Res ita se habere pergunt, ut caecitatis et visûs accessiones occasui et solis ortui respondere soleant.

Quibusdam in exemplis, ad occasum solis caecitas subitò adoritur, et eodem modo ad accessum ejus decedit.

Caecitatis varii sunt gradus. Primo stadio morbi, aeger non prorsùs caligat, sed res oblatas, splendidâ luce, per noctem videre potest: Ingravescente autem malo, visus hebetior evadit. Alii neque vident lunam, neque stellas; neque lucernas splendentes etiamsi ipsis oculis admotas; alii haec cernere possunt, sed nulla quae luce eorum illuminantur; dum alii lucem a tenebris vix, ac ne vix quidem, distinguere queant. Denique visus saepe prorsùs abo-

letur, aegro nil sub noctu, quanquam luce clarâ, videre valente.

Sub hoc statu, dicit Dom. Bampfield, si morbum perstare sinamus, visus de die fit debilis,[1] oculusque adeo morbidè acuitur, ut ne quidem aeger distinctè videat, nec solis radios directos vel reflexos sine dolore pati possit. Hoc autem rariùs occurrit.

Sequentem observationem nusquam alibi invenire potui. "Celui qui est affligé de "ce mal"—"qu'il soit placé durant le jour "dans un lieu tenebreux, il voit fort bien à "la plus petite lueur."[2]

Plerumque nulla molestia aut oculi mutatio visibilis adest, etsi morbus aliquot septimanas vel etiam menses perstiterit. Nonnulli, tamen, pupillam nimis contractam et immobilem; alii verò immobilem et nimis patulam, se conspexisse dicunt. Haec discrepantia fortasse originem ducit ab observationibus stadiorum vel statuum diversorum morbi; namque Dom. Bampfield, cui

---

(1) Vide Medico-Chirurg. Trans. vol. v. p. 39.—Vide quoque casum, in quo interdiu imbecilliter aeger cernebat, apud "Joan. Manardi, Epist." Lib. XV. Epist. ii. p. 431.

(2) Vide Lettres Edifiantes, tom. xxiv. p. 434.

tanta fuit experientia, signa in exemplis pessimis, et ubi morbus diutiùs traxisset, his verbis depingit. "The pupil is often con-"tracted, and the eyes and actions of the "patient evince marks of painful irritation, "if the eyes are exposed to a vivid light, "or if he look upwards." Paulo post inquit: "The pupil of the eye is consider-"ably dilated both by day and night, in "the proportion of about one case in twelve, "and at night the pupil is often dilated "and does not perform its expansions and "contractions, when exposed to the moon, "or artificial light."[1] Haec quoque exempla diu duraverant.

Morbus, nullâ curatione adhibitâ, seriùs vel ociùs, suâ sponte, persaepe abibit. Sub Jove frigidulo, duratio ejus a quatuor ad sex hebdomadas, sub aestate variare solet; sed nunc citiùs decedit, nunc longiùs protrahitur. At in regionibus intertropicis, plerumque, multo diutiùs aegrum infestat; re quidem verâ usque ad

---

(1) Op. citat. p. 42.

menses tres, sex, novem, vel plures adhuc, nonnunquam deducitur.

Vitium ferè congenitum Nyctalopia aliquando videtur;[1] et interdum etiam hereditarium esse dicitur.[2]

Incolae regionum frigidarum, intra tropicos degentes, quàm illarum partium indigenae, morbo sunt magis proclives. Europaei, quibus aliquando aderat morbus, rursus facillimè affici solent, dum regionibus calidis commorantur; et paroxysmi caecitatis subinde adsunt, etsi morbus minimè perpetuus sit.

Intra tropicos, "sub curru nimiùm propinqui solis," morbus omnibus anni tempestatibus evenire solet; sed regiones temperatas, per saevitiam temporis calidioris, plerumque vexat. In Germaniâ epidemicè grassabatur Julii et Augusti mensibus;[3] in-

(1) Vide exemplum ubi aeger, viginti annos natus, se malum habere narrat, "from the first time he was able to take notice of things."—*Philosoph. Trans.* Vol. III. Part I. Ch. II. § xiii. p. 38. ——Vide quoque casum, in quo aeger viginti tres annos natus haec verba facit; "se a quatuor jam annis laborare caecitate noc-"turnâ."—*Halleri Disput.* tom. I. Disp. xxii. § 11. Lausannae 1757.

(2) Vide Rees's Cyclopedia, art. *Nyctalopia.*

(3) "Calore solis existente maximo."—"Remittente solis aestu desiit haec Nyctalopia."—*Halleri Disput.* loc. cit. § 8.

que Russiâ, dicit Doctor Guthrie, maximâ ex parte adest Junio et Julio—per foenisecicium—dum longiùs aestuat dies.[1] Omnia, quae mihi, in mari Mediterraneo, occurrebant exempla, sub aestatis finem, et in autumno eveniebant.

Tempore quoque anni, ubi aestus summum non attigit gradum, sed dum ab ortu ad occasum solis longa intercedit dies, tunc morbus publicè grassans milites multum laboris vigiliaeque subeuntes, diversis temporibus adoriri visus fuit. Hujusmodi exemplum notatu dignissimum est illud, cujus Doctor Guthrie his verbis mentionem facit: "I was lately desired to give an opinion on "a curious phenomenon that happened last "war in Finland, where a Russian detach-"ment, ordered to attack a Swedish post "during a light night in spring, had like to "have mistaken one another for enemies, "and occasioned bloodshed, owing to some "hundreds in the column being *blind after* "*sun-set.*"

(1) Vide Edinb. Med. Comment. Dec. II. vol. ix. p. 288.
(2) Ib. loc. citat. p. 285.

"The complaint seized the soldiers in
"the spring, when the nights, from the
"short absence of the sun, and the strong
"reflexion from the snow, must have been
"very fatiguing to the eyes, at a period of
"much martial vigil and alarm; surprises
"on both sides being then very frequent,
"more especially nocturnal." [1]

Incolae, dicit Richerand, regionum septentrionalium, ubi, per maximam partem anni, nix omnia tegit, primâ aetate nyctalopes fiunt. [2]

Opifices, quorum oculi luci artificiali valde clarae sunt objecti, morbo nonnunquam laborant. [3]

In exemplis *symptomaticis*, tum hieme ac vere, tum aliis anni tempestatibus morbus occurrere depingitur.

Inter morbos "circa brumam," occurrentes, et quibus "rursus ante equinoc-

---

(1) Ibid. p. 288. et 289.

(2) Elements of Physiology, by A. Richerand, p. 284. Edit. 1812.

(3) Ibid. p. 284.

tiam," "reversiones fiebant," Hippocrates Nyctalopiam memorat.[1]

Morbo maximè sunt obnoxii plebecula laboriosa, et alii multo labore, vigiliâ, aliisque debilitatis causis defessi,—quibus saepe diaeta parca, imo etiam insalubris. Epidemici suprà citati hujusmodi hominibus omnes eveniebant; et morbus nautas nostros tam saepe adoriens exempla similia praebet.

Pauca memorantur exempla, in quibus homines generosi morbo laborabant; sed vitam eorum descriptam non habemus.

In Nyctalopia *idiopathica* valetudo adversa rarissimè adest. Aliquando, secundum Dom. Bampfield, irritabilis et timens fit ager[2].

Alios verò morbos Nyctalopia saepe comitatur. In omnibus, quae ipse vidi, exemplis, homines scorbuto plùs minùsve im-

---

(1) Vide Hippocrat. Oper. Omn. De Morb. Vulgarib. Lib. vi. Sect. vii. p. 1193. Genevae 1657.

(2) Vide Medico-Chirurg. Trans. loc. cit. p. 42.

butos invaserat; et plurima ejusmodi scriptores medici narrant.

Scarpa credit morbum e ventriculi vitio saepius pendere;[1] et plures Classis Regiae chirurgi eandem fecerunt observationem. Morbi cerebri aliquando subesse videntur; quippe gravedo, capitis dolor et apud internos oculorum angulos, &c. Nyctalopiam nonnunquam praecedunt vel comitantur.

Hippocrati[2] et Celso[3] visum est, mulieres et virgines, quibus menses apparent, morbo non esse proclives; sed Domino Dale obvenit exemplum, quo, post *catamenia* immodica, eandem malum hocce saepius invasit.[4]

Nyctalopia nulli aetati, sexui, aut temperamento propria est; neque oculos ullae magnitudinis vel coloris peculiaris, prae caeteris adoritur.

---

(1) Vide Scarpa Malattie degli Occhi, p. 252. Pavia, 1801. "Quandoque fit propter communitatem stomachi et cerebri." *Avicenna Cannon.* Lib. III. Fen. 3. Tract. 4. c. 5. p. 561.

(2) *Op. citat. Praedict.* Lib. II. sect. ii. p. 110.

(3) Vide *Celsi de Medicina*, Lib. VI. Cap. VI. p. 369. Lugdun. Batav. 1730.

(4) Vide *Philos. Trans.* Vol. III. Pt. I. Ch. V. § xli. p. 282, et 283.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Cùm historiam morbi supradictam perpendamus, causae imprimis praedisponentes omnia esse videntur, quae ad corpus universum et praecipuè oculos debilitandum maximè pollent. Itaque illos multum laboris, fatigationis, vigiliaeque subeuntes morbo potissimùm proclives invenimus. Hujusmodi causae nautas nostros morbo tam obnoxios reddunt; quippe qui laborem insignem patientes vitam degunt; somnus plerumque interruptus, et fere semper brevis est; et cibi, quibus utuntur, saepe parum salutares sunt, vel ad corpora nutrienda minimè idonei. Tot tamque ardua ferunt, ut vitae eorum illustris ac sedulus indagator verbis sequentibus utitur: "A "seaman, at the age of 45, if shewn to a "person not accustomed to be among "them, would be taken by his looks to "be fifty-five, or even on the borders of

"sixty."[1] Eorum oculi quoque vigiles, multo obtutu laesi, et requiete egentes, quàm maximè debilitantur, et ita morbo opportuni fiunt.[2]

Debilitas, quovis morbo inducta, inter causas praedisponentes habenda est. Mihi planè videtur, scorbutum nullo alio modo proclivitatem dare, nisi debilitatem generalem inducendo.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Corpori a causis suprà memoratis jam praedisposito causae excitantes admotae Nyctalopiam inducunt. Harum omnium radii solis, in oculos diu multùmque incidentes, primum tenere locum ritè videntur.

---

(1) Vide *Blane on Diseases of Seamen*, Ed. 3tia. p. 189.

(2) Dom. Baillie de hoc malo ita loquitur: "It was exclusively "confined to the *topmen* and to the *marines* who did duty on the "gangways, poop, and other exposed parts of the ship." *Medico-Chirurg. Journal and Review*, Vol. II. p. 180.

Hac de causa, morbum imprimis regiones intertropicas infestantem vidimus; etiamque, in regionibus temperatis, sub Jove aestivo, emicare solet. Illis quoque, qui sub dio longè versantur, quippe qui luci et soli ardenti valde expositi sunt, potissimùm imminet. Quomodo hae causae ad morbum incitandum agunt, postea, loco idoneo, explicare conabor.

Vitia cerebri morbum aliquando excitare videntur, namque dolor capitis, usque ad oculorum angulos micans, eum nonnunquam comitatur. Prope ipsum impetum Nyctalopiae, aeger a Doctore Pye tractatus usum e vestigio pedum amisit; etiamque viribus artuum penitùs refectis, levis dolor super oculos, sonitûsque in capite sensus, accessioni caecitatis quotidie antecesserunt.

Morbus aliquando iram excipit [1].

Bavari causam mali usui "loleacei panis" attribuunt;[2] et lolium oculis laedere est

(1) Vide *Lettres Edifiantes*, loc. cit. p. 434.
(2) Vide *Halleri Disput.* loc. cit. § xxi.

opinio reverà valde antiqua [1]. Effectus ejus noxii saepius notati sunt in dolorem capitis, vertiginem, aut etiam ipsam mortem inducendo, praecipuè si lolium pane mistum calidè comedendum praeberetur [2].

Ventriculi quoque vitia inter causas excitantes habenda sunt; namque hujus morbi comites haud raròvidentur.

De harum modo agendi nunc breviter disserendum est.

DE PATHOLOGIA.

Causis remotis enumeratis, modum operandi exponere nunc operam dabo.

Ad visum perfectum constituendum, necesse est, ut copia radiorum lucis, nec ni-

---

(1) " Careant loliis oculos vitiantibus agri." *Ovidii Fast.* Lib. I. vers. 691.

" *Sceledrus*—Mirum est lolio victitare te tam vili tritico.

" *Palaestris*—Quid jam? *Scel*. Quia luscitiosus." *Plautus, Miles Gloriosus*, p. 475. Coloniae, 1578.

(2) Audi Praelectiones Nostri Doctoris Rutherford de Lolio Temulento.

mia, nec haud satis, retinam stimulet. Sed hanc copiam justam ac ordinatam (aciei semper necessariam) ex impressionibus antecedentibus omnino pendere, liquet; namque si oculus splendidae luci assuetus sit, lux obscurior visum non ciet; et in luce valde obscurâ, videndi facultas acerrima erit homini in tenebris perpetuis degenti. Itaque huic in carcere incluso visus distinctior evådit; dum illi radios solis a nive reflexos diu perpesso solito hebetior fit in die minùs splendido, quanquam clara lux sit. Eodem modo, oculus, quem in Nyctalopiâ luci splendenti diu objectum vidimus, vix, ac ne vix quidem, afficitur obscuriore luce noctis.

Si ulla pars saepius et plus justo stimuletur, sensus ejus obtunditur. Lux diuturna quemdam retinae torporem, sive facultatis videndi vim imminutam, efficit, qui major fit, prout causae praedisponentes vel excitantes diutiùs perstiterint. Primo stadio morbi, priusquam retina nimis torpeat, oculorum acies, in luce clarâ, et pro gra-

du lucis, plùs minùsve perfectam se habere solet. Sed cum longiùs processerit morbus, propter torporem retinae auctum, oculus lucem artificialem, etiamsi claram, minimè sentit. Dum retinae hic torpor universus perstat, pupillam patulam et immobilem videmus, illi etiam admotâ luce, nisi quae ad visum excitandum sufficiat.

Eodem fere modo, symptomatum rationem reddere possumus in illo morbi stadio provectiore, ubi solis radios directos vel reflexos oculus pati non potest. Sol et lux, qui videndi sensum fregerant, oculum adeo stimulaverant, ut hic quamdam inflammationem subiisset. In hoc statu morbi, oculum irritabilem, et pupillam contractam ad nimium lucis excludendum notamus. Retinâ stimulo lucis affici adhuc valente, iridis contractiones ac dilatationes quàm perfectae pergunt, oculusque haud secùs ac in sanitate apparet.

Si torpor retinae, a luce nimis splendidâ oriens, morbum faceret, satis probabile videtur, aegrum loco in tenebroso *de die*,

oculorum aciem aequè perditurum ac *sub noctu*, stimulo, scilicet, lucis in utroque exemplo pariter subducto. Hoc autem, ut suprà visum, non semper evenit. Hujus ratio fortasse est, quòd radii solis oculum per *totam* diem longam afficientes, plùs polleant ad morbum producendum, quam si per *partem* diei solummodo egissent. Conclusio rationi consentanea videtur; ad eam, autem, confirmandam, summâ et diuturnâ observatione opus esset.

Vitia cerebri, ira, et alia congestionem in capite inducentia, Nyctalopiam inferre possunt, nervis opticis, vel ad originem vel in cursu laedendo, et eorum functiones adeo perturbando, ut impressiones debiles lucis obscurae ad sensorium deferre nequeant. Ultimum hujus morbi stadium Amaurosis fieret.

Eodem modo, ut opinor, ex usu lolii morbus oriretur, quippe quod cerebrum per ventriculum vitiet.

Ex consensu speciali ac miro ventriculum inter et retinam, pariter liquet Nycta-

lopiam vitiorum illius visceris toties comitem facilè observari posse.

Omnibus his causis agentibus, si eodem tempore oculus splendidae luci objectus fuisset, in morbum faciliùs incideret.

" Hujusmodi vitium"—Nyctalopia nempè—" in quibusdam exemplis, oriri visum " est a pupillâ nimis contractâ et rigidâ, " neque sat lucis debilioris in oculum ad-" mittente." [1] Satis constat, rariorem hunc pupillae statum morbum inducere posse; sed perpauci eum notârunt.

DE DIAGNOSI.

Vix ullo alio morbo Nyctalopia confundi potest; nihilominus permagni interesset, morbi in Classibus nostris adeo communis, et consiliis desidiae mirè accommodati, diagnosin tam certam statuere, ut dolis callidorum omnino obstaretur. Equidem credo,

(1) Vide Gregorii Conspect. Medicin. Theoret. Ed. 5ta. p. 81.

ut, scientiâ morbi adhuc imperfectâ, hoc fieri nequeat. Si pupilla vel contracta, vel patula semper esset, tunc unam dignoscendi methodum haberemus; sed etiam cum morbus aliquot menses perstiterit, pupilla mutationem ullam rarissimè subiit. Aliis itaque signis opus est; sed equidem nulla scio. Famam, mores, vitamque aegri sedulò inspicere oportet; hisque omnibus perpensis, et interrogationibus diversè factis, haud saepe, ut mihi videtur, falli possumus.

DE PROGNOSI.

In Nyctalopiâ prognosis admodum fausta semper habenda est. Morbus suâ sponte saepe decedit; et si non, exitus lethalis nunquam sequitur. Duobus in exemplis, quae Doctori Forbes[1] contigerunt, epiphora

---

(1) Joannes Forbes, M. D. amicus et olim condiscipulus meus, vir ingenii acumine et variis literarum scientiaeque disciplinis valde instructus, nunc Societatis Geologicae, apud Penzance, in comitatu Cornubiensi, a Secretis, ibique medicinam faciens.

hunc morbum excepit;[1] et, secundum Dominum Bampfield lippitudo ac myopisma interdum inducuntur.[2] Hic quoque dicit caecitatem absolutam evenisse, et testem hujus opinionis Bontium citat. Sed illi scriptori, qui Bontium Anglicè reddidit, assensisse videtur,—ejus opinione nimis fidens; namque certè quidem Bontius Nyctalopiam non descripsit.[3]

Prognosin, tamen, infaustam nonnulli ducunt. Ut Sennerto[4] ac Etmullero[5] visum est, "Nyctalopia raró curatur;" atque Boerhaavius inquit, "nullum remedium "scio quod hoc malum tollere possit."[6]

---

(1) Vide Edin. Med. and Surg. Journ. vol. vii. p. 419.

(2) Vide Medico-Chirurg. Trans. loc. cit. p. 40.

(3) His utitur verbis.—"Qui Amboynam, Bandam, ac Mo- "luccas versus navigant, infestantur saepe debilitate visûs, immo "totali caecitate;——"quae tamen caecitas non semper permanet; "sed alterius aëris mutatione, vel melioris diaetae, saepe recedit."—*Bontii* de Medic. Indor. lib IV. p. 32. Parisiis, 1645.

(4) Sennerti Opera Omnia, tom. III. Part III. § ii. cap. 44. p. 227. Lugduni, 1656.

(5) Etmulleri Opera Omnia, Comp. Colleg. pract. Lib. II. Art. i. p. 33. Lond. 1701.

(6) H. Boerhaav. De Morb. Ocul. § 158. Gottingae 1750.

DE METHODO MEDENDI.

Medici curationem morborum theoriis de causis eorum accommodare plerumque conati sunt. Quod ad Nyctalopiam hoc apprimè lucet. Omnes qui *Pathalogiam Humoralem* crediderunt, humores oculorum et totius corporis minuendi, mutandi aut ducendi variis usi sunt modis. Ad haec efficienda " diaetam attenuatoriam," et missionem sanguinis e brachio vel partibus oculo vicinis suaserunt. Purgantia quoque praescripserunt, et praecipuè illa quae (uti hi censuerunt,) " oculis appropriata" visa sunt. Neque " reliqua evacuantia" neglexerunt, " sternutatoria," " pituitaria," et similia. Necnon varia remedia oculis admovenda,—collyria, unguenta et pulveres, nimio labore pharmaceutices antiquae, praeparata et perturbata,—in usu habuerunt.

Nonnulla, propter rationes manifestè absurdas, remedia duxerunt. Ita " hieracion"

exhibitum fuit, quod "accipitres aiunt scalpendo eam (herbam), succoque oculos tingendo, obscuritati visûs mederi."[1] "Fumaria," ob aliquamdam similitudinem imaginatam, maculas petularum ejus inter et oculos, visui proficere existimata fuit. Plura hujusmodi exempla proferrem, sed ne fusiùs dicam, sat erit sequentia citare.

"Capras negant lippire, quoniam eae "quasdam herbas edant: item dorcadas: "et ob id fimum earum cera circumdatum "nova luna devorare jubent. Et quoniam "noctu aeque quoque cernant, sanguine "hircino sanari lusciosos putant, Nyctalo-"pas a Graecis dictos."[2] Hinc, ut videtur, fons et origo usûs hepatum animalium in Nyctalopiâ curandâ,—hepatum, quorum beneficia, longè latèque per tot secula vagata, cum confidentiâ reverà mirâ, affirmata sunt. Variorum animalium, sed, prae caeteris, hircorum, boum, oviumque hepata

(1) Foresti Opera Omn. lib. XI. Obs. 58. Francof. 1634.

(2) C. Plinii Secund. Natur. Hist. tom. IV. lib. xxxviii § xlvii. p. 616. Parisiis, 1685.

usurpata sunt. Nunc vapor hepatis tosti oculis admotus fuit,—nunc viscus ipsum comedendum praebitum est, postquam praeparationes quàm maximè complicatas subiisset, et cum variis stimulantibus ritè et legitimè conjunctum et commixtum fuisset! Talia curationem effecisse vix credibile est; et nihilosecius testimonia de iis prolata ex toto rejicere aut vilipendere forsitan temerarium foret. Hanc rem tractare non ausim; sed observationi et experientiae ampliori tradere contentus sum.[1]

Paucis igitur de hujus morbi curatione adhuc memoratis, methodum medendi pa-

---

(1) Nonnulla exempla vidi, ubi vapor hepatis bovini oculis admotus curationem efficere *visus fuit.* Aegri scorbuto aliquantum laborârant, et purgantia, cinchona, hydrargyri submurias, variaque collyria iis nihil profuerant. Homines ipsi ad hunc vaporem sese contulerunt, et ex unâ vel alterâ ejus applicatione morbum decedere affirmaverunt. Amicus meus Doctor Dods, tunc temporis Magnae Britanniae navis bellicae "Apollo" chirurgus, idem haud rarò notavit.

De morborum nervosorum *naturâ* multum adhuc latet; et intermissionibus quàm proclives sint, omnes agnoscunt. Hujusmodi remedium, itaque, morbum levare credere vix possumus. Malum in his, ut in plurimis aliis exemplis, suâ sponte fortasse abierit; vel alicui causae non perceptae aut ignotae cesserit. Historiam Nyctalopiae *intimam* adhuc valde imperfectam esse, fatendum est omnibus.

thologiae supradictae consentaneam, et experientiâ comprobatam, quàm breviter ostendere nunc me accingam. Medela de causis morbi multùm pendebit. Si ex ullo cerebri vitio oriri videatur, missione sanguinis, aliisque ad hoc tollendum remediis uti oportet. Si morbida ventriculi vel intestinorum conditio morbum induxerit, vomitus, purgantia, et alia quae hanc conditionem submoveant, exhibere expediat. Nyctalopia, autem, ullo alio morbo rariùs comitatur, et de generali ac speciali debilitate plerumque pendere videtur. Itaque, ad totius corporis et praesertim oculi vires redintegrandas niti debemus. Causas excitantes evitando, et generali vel *topico* stimulantium usu, hoc effici potest. Hinc, ut equidem puto, modo sequenti, intra septem vel quatuordecim dies, curatio facta fuit. Doctor Guthrie de morbo haec verba habet: "It is cured by the use of a bitter tonic infusion, [1] even although the patient conti-

---

(1) Infusum fiat e "Centaurea Cyanus," Linnaei.

"nues his daily hard labour, providing he "sleeps as at other seasons during the "night."[1] Etsi morbus ita curari possit; certè multò citiùs medetur, stimulos vel oculo ipsi vel partibus ei vicinis applicando. Stimuli topici oculum valdius excitant, et, hoc modo, ut opinor, vesicatoria ad curationem adeo polleant. Primus hanc methodum medendi Dom. Bampfield luculenter notavit et commendavit, et laudem, ideo meritus est; quanquam emplastra vesicatoria nuchae et partibus aliis ab oculo remotis olim in usu fuerunt. Eorum effectus ita memorat: "A succession of blisters to the "temples, of the size of a crown, or a half-"crown piece, applied tolerably close to the "external canthus of the eye, has succeed-"ed in every case of idiopathic hemeralo-"pia which I have seen. Under their ap-"plication, the retina appeared to regain "its irritability and sensibility to impres-"sions from light, in the same gradual

(1) Vide Edin. Med. Comment. loc. cit. p. 288.

"manner as it was deprived of it."[1] Unum vel alterum vesicatorium aliquando ad curationem sufficiat; sed tertium, quartum, vel quintum morbo plerumque prorsùs medetur. Perpaucis in exemplis, plura necessaria sunt; vel vesicatorium continuum formando, intra dies quatuordecim curatio ferè semper efficitur. Eundem exitum felicem alii se vidisse testati sunt.

Interea splendida lux evitanda, et sat somni capiendum est. Oculos aquâ frigidâ saepius lavare quoque proderit.

Praeter vesicatoria, aliis etiam stimulis topicè uti juvabit; et praesertim vapore aquae ammoniae.

Ad curationem electricitas nonnunquam valuit; et reverà, ni fallor, valde utilis invenietur. Fortasse *aura galvanica* pariter prodesset.

An oculum stimulo lucis affici minùs obnoxium Belladonna redderet? An accessum vel reditum morbi prohibere posset?

---

(1) Vide Medico Chirurg. Trans. loc. cit. p. 47.

Nil nisi haec habeo, quae de hujus morbi methodo medendi, judicum eruditorum examini, et lectorum benignitati, subjiciam. Hìc igitur, ne fusiùs dicam, opusculum meum ad finem duco.

FINIS.

Edinburgi:—*E Prelo Academico.*